



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

3. De necessitate Regularum. Thema. Quicumque hanc Regulam secuti fuerint pax super illos. Ad Gal. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

# EXHORTATIO III.

## IN REGULAM I. SUMMARI.

Explicat necessitatem conscribendi Regulas.

T H E M A.

*Quicumque hanc Regulam secuti fuerint pax super illos.*  
Ad Gal. 6.

V E L:

*Necessarium arbitramur Regulas conscribi. Reg. 1.*

Quod o-  
mnibus  
Ordini-  
bus con-  
venit.



Uemadmodum A-  
postolorum cœ-  
tus, (qui verus  
Ordo religiosus  
extitit, ut eximii  
Doctores asserunt  
cum P. Suarez  
Tom. 3. de relig.  
l. 3. c. 2.) nullis scriptis regulis vixit;  
sed iis duntaxat, quas Christus Domi-  
nus ore tenus tradidit, & post ejus a-  
scensionem Spiritus Sanctus cordibus  
eorum inscripsit; Regulas scilicet per-  
fectæ charitatis: ita quoque Societas  
nostra, Ordo Apostolicus, & ad pro-  
totypon Apostolorum formatus, sub  
exordium suum, pluribus annis solâ  
charitatis lege persistit observantissi-

ma. Cum verò hic Ordo ingentia cape-  
ret indies incrementa; verumile erat,  
licet plures, non tamen omnes, regen-  
dos solâ lege charitatis; sed aliquo di-  
rectionis exterioris auxilio opus habi-  
turos: Hac de causâ Sancto Fundatori  
nostro necessarium esse visum est con-  
stitutiones ac regulas conscribi: quibus  
omnes directi atque adjuti, expeditius  
ad perfectionem tenderent.

Conscriptionis hujus Regularum,  
quatenus ipse S. Fundator rationes, in  
regula, allegat. 1. Quia suavis divinæ  
Providentiæ ratio Creaturarum suarum  
cooperationem exigit. 2. Quia Christi  
Vicarius sic statuit. 3. Quia exempla  
Sanctorum id docent. 4. Et ratio ipsa  
persuadet. Causas hæc in præfati de-

M 2 clara-

I.  
ratio scri-  
bendi Re-  
gulas.  
Coopera-  
tio Crea-  
turarum  
Deo pla-  
cet.

clarabimus, ut regularum necessitatem perspiciamus.

I. Ratio S. Patriarcham nostrum ad scribendas constitutiones impellens, est: *Quia suavia divina Providenti a ratio Creaturarum suarum cooperationem exigit*; Idque non solum in naturalibus, verum etiam in supernaturalibus. Potest divinum Numen custodire civitatem, absque muro, vineam absque sepimento, militem absque clypeo, vinum absque dolio; sed vult homines manum quoque admoveere; eaque quae ad defendenda conservandaque oppida, vineta, castra, vina, necessaria sunt parare & conficere. Ita pariter poterat Deus populo Israelitico sitibundo aquarum fontes praebere, absque Moyse virga & petra percussione, sed huius operam adhibere maluit; & per Moysen famulum suum, hoc & alia stupenda prodigia patrare decrevit: Non ab simili ratione poterat Deus Ordines religiosos sine regularum extenarum adminiculis tueri & in flore conservare, sed noluit istud, sed Regulas à Fundatoribus exarandas statuit: & iure merito: nam

1. Quid est Regula, nisi antemurale, murum praceptorum Domini praemiens, circumvallans & protegens? Ut exhortatione praesumari 5. prolixius declaravimus. De quo illud Isaia 26. iure dixeris: *Urbis fortitudinu nostra, Sion, Salyator; murus ponetur in ea & antemurale*: Scilicet murus praceptorum, & antemurale regularum: hoc antemurale, si in Urbe Societatis illasum steterit; stabit quoque murus mandatorum Domini; si verò illud immunicatis, impu-

nitatis, aut crebra violationis rimas egerit; nec ipse Decalogi murus illasus perdurabit: ut plurimum à Societate deficientium, & Apostatarum experientia, pro dolor! nimirum comprobatur, qui petrupto seclè antemurali, ipsum tandem murum dissiparunt. Propheta vaticinante: *Luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.* Thien. 2.

2. Quid est Regula religiosa, nisi (ut loquitur Euthymius & Theophylactus in cap. 21. Matthaei) sepes ac sepimentum, quo Religio quaeque per Fundatorem suum, tanquam vinea circumdatur? Quod exhortatione praesumari 6. fultus exposuimus. *Septem circumdedit ei.* Matth. 21. Ut instar vineae, à ferarum incursu, & furum direptione muniat. Hæc sepes, si absque laxitatum & exemptionum hiatus integræ, illasque servetur, florebit vinea nostra, dabitque odorem suum: si verò sepes ista conculcetur aut dissolvatur; quid nisi vineae devallatio, expectabitur? *Qui dissipat sepe, mordebit eum coluber.* Eccli. c. 10. Scilicet coluber stygius, Serpens antiquus: Ne igitur mordeamur, ab angue tortuoso, necessaria est sepes Regularum, eaque in suo vigore conservanda.

3. Quid Regula sunt, nisi vincula? ut eruditè docet Gerson L. de vit. Spirit. Quibus terna vota religiosa continentur, colligantur & conservantur: quemadmodum vas liquore plenum, vinculis vimineis custoditur: His deficientibus dissolvitur, liquorque effluit. Regula vincula sunt, ait Hugo Victorinus, quibus coarctamur, trahimur, astringimur & retinemur, ne ad pristinam

nam seculi libertatem, vanitatem & iniquitatem relabamur: quam igitur necessarij sunt vasis circuli & vincula, tam conveniens est religioso ordini conservando Regula.

4. Quid sunt Regulæ, nisi scuta & clypei, quibus vitam spiritualem conservemus, & hostium nostrorum impetus, & ictus retundamus? Verè Societas nostra Turris Davidica est, de qua illud Cantorum jure dixerimus c. 4. *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura sortium*: Quam ergo necessarius est militi clypeus, tam utilis est JESU Sociis in pugna assidua umbo Regularum: quem si abjecerimus, qui contra Mundum, Carnem, Dæmonemque, tantæ potentie ac ferociæ hostes, nos inermes stabimus? qui nos defendemus?

5. Quid denique Regula nostra est, nisi Virga Moysis, quæ petra percussa aquæ fontem ejicit, mare divisum iter tutum efficit, hostilesque copias in profundum demergit. Hæc Virgâ mylticâ petram, Christum scilicet, tangimus, & mox in nos aquæ gratiarum profuunt, virtus penitentiae, donum lacrymarum, devotio & consolatio spiritalis; *Qua sunt aqua viva salientes in vitam æternam*. Joan. 4. Hæc virga hujus seculi nequam mare nobis aperit, compressis ejus fluctibus, transitum liberum præbet, submersoque Pharaone, holte nostro insensissimo, in terram promissionis inducit. Hic enim stygius Pharaon, superbiâ tumidus, omnium superbiorum Princeps, cujus fastus crevit & ascendit semper, à nobis debellatur & iteritur, dum secundum Regulæ præscriptum, in Humilitatis, Peniten-

tiae, Obedientiae & Charitatis opera incumbimus. Sine quibus devoti in servitute ejus redigeremur. Ex quibus omnibus ad oculos elucescit, quanta sit regularum necessitas, quas suavis divina Providentiae ratio à Fundatoribus exigit.

II. Altera ratio conscribendæ Regulæ à S. Ignatio allegata est. Pontificis oraculum & imperium: *Quia, inquit, Christi Domini nostri Vicarius, sic statuit*. Mirum est, quantopere semper ab ore Pontificis S. Fundator pependerit; ita ut non requireret mandatum; sed vel nutus ad promptè parendum sufficeret; & non voluntatem modò, sed & judicium suum eidem perfectè submitteret. Refert de eo P. Ribadeneira in vita l. 5. c. 4. Illum, dum Præpositum Generalem ageret, aliquoties edixisse; si summus Pontifex imperaret, ut ostio Tyberino scapham, vel navigium quodcumque primùm invenisset, clavo, malo, velis, remis, ceterisque armamentis spoliatum conscenderet, & ita absque ullo comiteatù mare trajiceret, se id non solum æquo; sed etiam libenti animo facturum. Tanta ejus erat voluntatis ac judicii submissio atque obedientia: Quid igitur mirum; si Christi Domini Vicario, regularum conscriptionem Societati necessariam esse censeanti, eamque mandanti; ipse in eandem sententiam descenderit?

III. Ratio tertia, plurimum ejus animi promovens, fuit; aliorum Sanctorum Fundatorum exemplum: unde ait, *Quia Sanctorum exempla nos docent in Domino*. Nullum enim Ordinem est reperire, cujus vel Fundator, vel Pro-

II.  
Ratio vgl  
luntas  
Pontificis.

III.  
Ratio,  
Exem-  
plum San-  
ctorum.

motor Filios suos hoc Regularum munimine destituit. 1. Ordini Carmelitarum, primitivam Regulam à bonæ memoriæ Alberto Patriarcha Hierosolymitano præscriptam, & ab Innocentio Papa IV. anno 1245. 1. Septemb. confirmatam, asserit Clemens VIII. Pontifex in diplomate anno 1600. dato, teste P. Lancicio opusc. r. c. 19. 2. Ordini Clericorum seu Canonicorum Regularium, uti & Eremitarum S. Augustini: ipse S. Doctor auream planè Regulam præscripsit; ab Innocentio II. approbatam. Quam facillè quadraginta Ordines amplexi sunt, quos inter recensentur, Ordo Equitum Melitenisum, Ordo Præmonstratensium, Ordo Ss. Trinitatis, Ordo S. Mariæ de Mercede, Ordo S. Dominici, Ordo Servorum S. Mariæ, Ordo S. Hieronymi Ordo Jesuatorum, Ordo Ministrantium Infirmis, à B. Joanne Dei institutus, Ordo Clericorum Minorum institutus à R. P. Augustino Adornio Genuensi. 3. S. Basilii religio antiquissima, in Græcia primum, deinde in Italia, Russia & Lithuania amplissimè propagata, à S. Basilio certis legibus stabilita; quarum alias ipse Regulas fusiùs disputatas, & alias nuncupat breviores. 4. Sicut S. Basilium Oriens, sic S. Benedictum Occidens magnum vitæ Religiosæ propagatorem agnoscit, & hic suis Regulam peculiarem exaravit, quam S. Gregorius L. 2. Dial. c. 36. meritò appellat discretionem præcipuam, sermone luculentam. Quæ ab anno 520. vehementer propagari cœpit. Hanc Regulam sequitur quoque Ordo Cisterciensium, 5. S. Franciscus suis Fratribus, Deo revelante

conscripsit Regulam, & ne prolixior sim; meritò S. Ignatius se horum Sanctorum exemplis ad regulam conscribendam permotum asserit, atque ut illi eam suis, ita ipse illam Filiis suis necessariam esse judicavit.

IV. Ratio quarta est: Quod Ratio ipsa id persuadeat. Vix enim ulla fuit in mundo natio, quæ suas non teneret leges, secundum quas respublica univolta dirigeretur. Primus in orbe Legislator fuit Moses, seu potius Deus per Moysen. Eum secuti, leges dedere Indis Gynosophytæ, Aegyptiis Sacerdotes, Babylonis Chaldæi, Persis Magi, Gallis Druidæ, Locrensis Zaleucus, Atheniensibus Solon, Lacedæmonis Lycurgus, Cretensibus Minos, Corinthiis Philo, Getis Zamolxis, Milesiis Hippodamus, Thebanis Philolans, Carthaginensibus Phaleas. Apud Romanos primus P. Papirius regias leges in unum contulit; Deinde Appius Claudius Decemvir duodecim Tabularum leges conscripsit. Hos secuti Sempronius, Scipio Nalica, Q. Fabius. M. Cato & alii. A deo ut penitus barbari meritò esse censeantur populi, legibus omnibus destituti: cujusmodi sunt Brasili, in lingua sua ternis literis F. L. R. carentes, idque appositè: nam carent, fide, lege, rege. Teste Oforio, & Maffeo in Hist. Indica. Unde rectè Plato asseruit: *Necesse esse leges hominibus ponere, ut secundam eas vivant, alioquin nihil à feris discrepant. Causam esse, quod nullius hominis ingenium ita naturæ institutum sit, ut quæ ad publicam humanam vitæ commodum conferunt, sufficienter cognoscat; & si cognovit, ut optimum id, quod novit, semper agere possit ac velit.*

IV.  
Rati-  
sum  
Rati-

velit. ita ipse l. 4. de Legibus. Quemadmodum igitur in omni Republica, hæc tria necessaria sunt, Governator, bona voluntas populi & leges, five communes. five particulares: ita in Societate & quolibet ordine religioso necessarius est Governator, qui est Deus, cujus Vicarii sunt Superiores; necessaria est quoque lex interna, & gratia vocationis, nos impellens, ut gubernari velimus; denique necessariae sunt Regulæ externæ, secundum quas dirigamur, ut omnes uno communi non quisque suo privato spiritu vivat & moveatur. Deinde recta ratio docet, atque evincit, si in omni ætate tam liberali, quam illiberali, Regulæ necessariae sint, ad quas opus artis exigatur; Si Regulæ suas requirit ars statuaria, pictoria, architectonica, Grammatica, Poëtica, Rhetorica, Philosophia, Jurisprudentia, Theologia; quidni Regulæ suas exiget scientia Spiritus, scientia Sanctorum, studium perfectionis, longè difficilior, sublimior & subtilior?

Quare, finio. Charissimi; & cum Regulæ conscribendi necessitatem abundè perspexerimus; ejusmodi conclusionem formemus: Si Regulæ necessario fuere scribendæ ad perfectionem & salutem melius, faciliusque obtinendam; eaque pro nobis etiam sint conscriptæ; nobis quoque ad prædictum finem sunt necessariae. Hoc antemurale; Decalogi murum illæsum turabitur, hæc sepes

Societatis vineam, & animam cuiusque nostrum, ab incurfu ferarum, & peccatorum custodiet: hæc vincula efficiant, ut liquorem divinæ gratiæ, aquam salientem in vitam æternam contineamus & conservemus: hi clypei contra hostium impetum & ignita jacula defendent: hæc virga Moysis gratiarum fluente è petra viva, largiter proliciet. E contra verò, si Regulæ tanquam non necessariae, aut superfluas parvi ducamus, leviterque sæpius transiliamus, ingentia damna incumbent. Si hoc antemurale perforaveritis, ipse præceptorum divinorum murus tandem corruet; ut plures à Societate dimissi, ipsa experientia didicere. Si hæc sepe destinxeritis aut conculcaveritis, mordebit vos coluber tortuosus si hæc vincula ruperitis & votorum vincula tandem frangetis: si hos clypeos abjeceritis, certo certius ab Hoste maligno, vibices & vulnera referetis; Denique si hæc virgam combusseritis, aut frigeritis, nec aquas pœnitentiæ & lacrymarum, nec aquas devotionis & solationum cum gaudio de petra viva haurietis, nec mare hujus mundi pede illæso transibitis, sed in periculo versabimini, ut vortibus & fluctibus maris hujus procellosi, mundi inquam, hauriamini & absorbeamini.



EXHOR.